

Documentum

Sacra Congregatio Rituum

AQUISGRANENSIS

DECRETUM

CONFIRMATIONIS CULTUS SERVO DEI HERMANNO IOSEPHO
BEATO VEL SANCTO NUNCUPATO,
SACERDOTI ORDINIS PRAEMONSTRATIENSIS, EXHIBITI.

Nostris hisce temporibus cum permulti, acriore rerum humanarum sollicitudine detenti, oblivione caelestium veritatum sempiternaeque potiundae vitae negligentia laborent, nihil opportunius ad eorum excitandos animos videtur, quam praeclara virtutum exempla in universi orbis conspectu ponere. Numquam enim in catholica Ecclesia defuerunt qui sanctitudinis culmen fortiter attigerint, et super candelabrum ita positi sunt ut aliis salutis viam ostendant. Quos inter christianae virtutis heroes merito adnumeratur et Dei Famulus Hermannus Iosephus, sacerdos ex Ordine Praemonstratensium, Beatus vel Sanctus nuncupatus, qui, conscientiae populorum Germaniae ad hodiernam usque diem praesens, tamquam pius Dei minister, virtutibus uberrimis ornatus suavissimo erga Beatissimam Virginem Mariam tenerimo amore flagrare consuevit. Coloniae Agrippinae, saeculo decimosecundo exeunte, natus, iuvenili aetate mundana spernens et terrena despiciens, Praemonstratensium Ordinis regulam professus, de die in diem ad sanctitatis fastigium ascendit. Senio confectus virtutibusque clarus, in monasterio Monialium Cisterciensium Hoveniensi, quas apud sacrum agebat ministerium, medio saeculo decimotertio supremum diem obiit. Eius sanctitatis, nec non et miraculorum fama inde mirifice crevit, eiusque sepulcrum in Monasterio Steinfeldensi factum est gloriosum. Cultus insuper publicus a tempore immemorabili ei tributus est, qui hucusque integer perseverat. In eius enim honorem anno 1339 in urbe Ubbergen ecclesia dicata fuerat ac liturgicum Officium et Missa, iamdiu Praemonstratensibus concessa, anno 1728 ab Apostolica Sede probata fuere. Die vero 7 Aprilis eodem anno in ecclesia sancti Norberti de Urbe Benedictus Papa XIII, eidem Dei Famulo altare dicavit, in quo eius reliquias exposuit Sacrumque fecit. Attamen huiusmodi cultus iuridice numquam confirmatus est, licet Hermannus Iosephus Beatus vel Sanctus nuncupatus fuerit, et Sanctorum iuribus iuxta liturgicas normas fruitus sit. Merito igitur Germaniae universae, plurimique aliarum nationum Praesules, Religiosorum Ordinum Mo-

deratores, nec non et quamplurimi clarissimi viri, laetanter accedente Candido et Canonico Praemonstratensium Ordine, apud Apostolicam Sedem de Canonizatione aequipollenti Servi Dei Hermannii Iosephi humiliter institerunt. Qua de re, servatis omnibus de iure servandis, Sacra Rituum Congregatio, per suam Sectionem Historicam super vita, virtutibus et cultu Servi Dei Hermannii Iosephi positionem diligenti studio parandam curavit. Instante igitur Revmo Domino Hugone Marton, eiusdem Praemonstratensium Ordinis Postulatore Generali, die 24 Iunii anno 1958 in Palatio Apostolico Vaticano Congregatio Sacrorum Rituum ordinaria habita fuit, in qua Emus ac Revmus Dominus Clemens Cardinalis Micara, Episcopus Veliternus, memorati Servi Dei Causae Ponens seu Relator, de vita, virtutibus et cultu Hermannii Iosephi, Beati vel Sancti nuncupati, dubium discutiendum proposuit. Et Emi ac Revmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, auditis quoque Praelatorum Officialium, praesertim R. P. D. Fidei Promotoris Generalis, suffragiis, omnibus mature perpensis, suum quisque votum protulerunt.

Facta demum de praedictis Sanctissimo Domino nostro Pio Papae XII per infrascriptum S. Rituum Congregationis Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua, re sedulo perpensa, Purpuratorum Patrum sententiam ratam habens, cultum Beato Hermannio Iosepho, Sancto nuncupato, ab immemorabili tempore praestitum, confirmare benigne dignata est, et, indulta dispensatione a triplici iuridica disceptatione super virtutibus in gradu heroico, iuxta canonem 2102 Codicis Iuris Canonici, de heroicitate earundem virtutum, in casu et ad affectum de quo agitur, constare decrevit.

Quibuslibet contrariis non obstantibus.

Die 11 Augusti anno 1958.

C. Card. CICOGNANI, Praefectus.

Henricus DANTE, Substitutus.